

diciónē, ut ad diem vitae eius usus et fructus | potestasque aedifici sui ad se pertineret, postea autem rei p. nostrae esset: placere huic ordini tam gratam voluntatem optimi civis | admitti, remittique ei solarium, cum plus ex pietate promissi eius res publica nostra postea consecutura sit. In curia f. n. LXXXXII<sup>4</sup>.

*Puteolis rep., est Neapoli (X 4785 vidit Mommsen). — 1) Verba fecerunt. — 2) Quid de ea re fieri placeret, de ea re ita censuerunt. — 3) Cf. Ulpian. Dig. 43, 8, 2, 17; Marquardt Staatsverwaltung II<sup>2</sup> p. 450 not. 2. — 4) In curia fuerunt numero LXXXXII.*

**5920** exemplaria litte|rarum rationali|um<sup>1</sup> dominorum n̄n.<sup>2</sup> | scripta- rum, pertinen|tes ad Adrastum | Augg. n̄n. lib., quibus aei (*sic*) | per- missum sit, aedifi|care loco cannabae | a solo<sup>3</sup> iuris sui pecunia | sua, prestaturus (*sic*) solari|um sicut caeteri (*sic*). |

Aelius Achilles, Cl. Perpetu|us<sup>4</sup>, Flavianus Eutyclus<sup>5</sup> | Epaphrodito suo salutem: | Tegulas omnes et impensa | de casulis item cannabis | et aedi- ficiis idoneis adsigna | Adrasto procuratori | columnae divi Marci<sup>6</sup>, ut | ad voluptatem (*sic*) suam hospiti|um sibi exstruat, quod ut | habeat sui iuris et ad he|redes transmittat. Litterae datae VIII idus Aug. | Romae Falcone et | Claro cos.<sup>7</sup> |

Aelius Achilles, Cl. Perpetu|us<sup>4</sup>, Flavianus Eutyclus<sup>5</sup> Aquil|io Felici<sup>8</sup>. Hadrasto (*sic*) Aug. lib. | ad aedificium, quod custodi|ae causa columnae cen- te|nariae<sup>9</sup> pecunia sua exstruc|turus est, tignorum vehes | decem, quanti fisco consti|terunt, cum pontem neces|se fuit compingi, petimus | dari iubeas. Litterae datae | XIII kal. Sept. Romae | Falcone et Claro cos.<sup>10</sup> |

Rationales Seio Superstiti | et Fabio Magno<sup>11</sup>. Procura|tor col- umna (*sic*) centenariae | divi Marci exstruere habi|tationem in contermi- nis | locis iussus opus adgredi|etur, si auctoritatem ves|tram acceperit. Petimus | igitur aream, quam demo|nstraverit Adrastus lib. | domini n., adsignari ei iubea|tis, praestaturus secundum | exemplum ceterorum sol- larium. Litterae datae | VII idus Sept.<sup>12</sup> Romae, red|ditae III idus Sept. Romae | isdem cos.<sup>13</sup>

*Romae effossa a. 4777 in platea q. d. Montis Citorii, non longe a columna Antonini (VI 4585<sup>b</sup> vidit Henzen). Tractavit Mommsen Zeitschr. f. gesch. Rechts- wiss. 13, 1850 p. 336 seq. Ex alia epistula ad eandem rem pertinente videtur superesse frustulum VI 4585<sup>a</sup>. — 1) Cf. supra N. 4480. Procuratorem Augusti a rationibus et adiutorem eius intellegi putat Hirschfeld Verw. p. 56. — 2) Videtur intellegi Severus cum Albino Caesare. — 3) Videtur excidisse aedificium vel simile quid. — 4) Fortasse idem Claudius Perpetuus procurator Mauretaniae sub Com- modo (supra N. 396). — 5) Tertium quartumque nomen putant Claudii Perpetui. — 6) Apparet significari columnam cochlidem quae exstat non longe ab eo loco ubi titulus repertus est; memoratur in Notitia urbis reg. IX. Cf. Petersen die Marcus-Säule auf Piazza Colonna (1896) p. 4 seq. In frustulo VI 4585<sup>b</sup> eadem columna appellatur [divorum] Marci et Faustinae. — 7) 6 Aug. 193. — 8) Idem qui supra N. 4387, eo tempore procurator operum publicorum (cf. ib. not. 3). —*